

1251

CODICES

1252

DLIII.

U. 293 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 326. f. per duas columnas scriptus, et rubricis distinctus hunc Titulum miniatum praefert: *Incipit secunda pars summe de theologia edite a fratre Thoma de aquino ordinis fratrum predicatorum.* Initium, ut apud Nicolai cit. *Quia sicut Damascenus dicit &c.* Quia vero, ut notum, *Pars* haec *Secunda* rursus dispescitur in *Partem primam Secundae*, et *secundam Secundae*, hoc Codice non nisi *Prima Secundae* continetur, quae definit: *non autem mali.* Et *hec de moralibus in communi dicta sufficiant.* Adjecit Librarius: *Explicit prima secunde finita anno domini 1418. feria 3. mens. Octobris die 18. de gratia dei.* Succedit contentorum Elenchus.

DLIV.

U. 298 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 345. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricis distinctus, olimque *Collegio B. Mariae Virg. domus Rubee rose apud fratres predicatorum in Wyenna legatus* a M. Jacobo de Wuldendorff arcium ac sacre pagine professore et ad sanctum steffanum Canonico complectitur Operis mox dicti *Partis II. Partem Secundam*, quae, ut apud Nicolai cit. incipit: *Post communem considerationem de virtutibus et vicijs &c.* verum, cum *Traetatio integra Quaestionibus CLXXXIX.* definiatur, Exemplum ficit in *Q. XCVI.* his ver-

bis: *ad figuras scriptas, quam ad intellectum verborum.* Atque totidem etiam *Quaestionum Elenchus* sequitur adjuncto alphabetico *Rerum.*

DLV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3027 XIV. Folior. 122. f. per duas columnas nitide, multis tamen vocum compendiis, scriptus, coloribus distinctus, et prius *Monasterij Sancte Dorothee Canonorum Regularium in Vienna* est D. Thomae Aquinatis *Prima Secundae Partis Summae Theologicae*, prout extat in Editionibus v. g. *Patavina* 1698. T. II. p. 1. f. hoc initio: *Quia sicut damascenus dicit homo factus ad ymaginem dei dicitur &c.* Integra omnia, et ad calcem minio sic habetur: *Liber Monasterij Sancte dorothee Canonorum regularium in wienna emptus a domino preposito sternbergense pro quinque florenis licet taxatus fuerit pro quatuor solum, et datus fuit monasterio in sternberg (Canon. Regul. in Circ. Olomuc. Moraviae) Per M. Zanderum canonicum ecclesie Olomucensis A. 1435°.* Rescripta est haec Formula super aliam erasam. Sequitur adcuratus *Quaestionum seu Titulorum Index.*

DLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 296 XIV. Folior. 437. f. per duas columnas exaratus, et rubricis maximam partem distinctus continet